



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 49. Mors Francisci Britanniae Ducis, Pater frater ejus Successor

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

fieri decrevit, & hodie dum pia hæc consuetudo Rothomagi observatur.

Sæcul. XV.
A.C. 1450.

§. XLIX.

*Mors Francisci Britannicæ Ducis;
Petrus Frater ejus successor.*

Ingens illa lætitia, quam Carolus VII. *Monstrelet.*
ob tot, tantasque victorias concepit, *vol. 3.*
non sine luctu fuit. Hoc enim anno e- *Argentre*
reptum sibi planxit Principem Gallici no- *l. 12. c. 3.*
minis studiosissimum, & in Normanna ex-
peditione editis fortitudinis suæ argu-
mentis longe celeberrimum. Hic erat
Franciscus Britannicæ Dux, qui die deci-
ma septima Julii, quæ Sabbatum erat,
in castro Erminensi prope Venetias in *Hermine*
Britannia ex hydrope fatis functus est. *Vannes*
Natus erat die undecima Maji Anno sa-
lutaris millesimo quadringentesimo decimo
quarto, unicum suscepit Filium, qui in
pueritia diem suum obiit. Quare nullo
hærede relicto, Petrus II. Francisci fra-
ter successit, ita exigente lege, quam Joan-
nes Britannicæ Dux, cognomento fortis
sanxerat, vi cujus a jure succedendi Fi-
liæ excludebantur, si proles masculæ li-
nea recta in Britonum domo superstites
essent. Quapropter hac lege duæ illæ *Vid. supr.*
Filie, quas Franciscus reliquerat, Duca- *lib. CIX.*
tu arcebantur. Porro immodico erga *§. 132.*
Franciam affectu deceptus, Ægidii fra-

Sæcul. XV.
A.C. 1450.
tris sui necem promovit ; nimia enim facilitate fidem dabat iis, qui illum, eoquod diutius in Anglia hæreret, Henrico Regi in paucis carum accusabant, quod foedera Gallis infesta cum Anglis pepegisset. Potissimi, qui in occisi perniciem conjurarunt, erant Jacobus de Spinaco primum Macoloviensis, dein Rhedonensis Episcopus, & Arturus de Montalbano Domini Montalbani frater natus minor. Arturus, ut fertur, criminis sui poenitentia ductus, habitum Coelestinorum Lutetiae Parisiorum suscepit, postea per Ludovicum XI. forte in gratiam fratris ejus, qui classi Gallicae præerat, Archiepiscopus Burdegalensis nominatus.

§. L.

Regni Proceres a Rege Turonibus congregati.

Rex Galliarum Anglos e Normannia abegisse haud contentus erat, sed insuper quicquid reliquum in Aquitannia possidebant, nempe Burdegalam, Blaviam, Aquas, Fronfacum, Bergeracum, pluresque alias urbes illis continuo eripere decrevit. Eam ob rem mense Septembri Turones venit, & Viros nobilitate generis maxime conspicuos in consilium vocavit, de Aquitanniae subigendae modo deliberaturus. Omnium animis
hoc